



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata, Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus, Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curix forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

XI. De compromisso, quando peti valeat, atque ex eius causa forus declinari; Et de aliis, quæ ad hanc materiam compromissi, ac laudi, & arbtiri pertinent.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)



auditur contumax in statu, & terminis, refectis tamen expensis factis per alteram partem, quod etiam de iure communi statutum est, *Menoch. de arbitrar. quest. 36. Thef. dec. 9. add. ad Vestr. lib. 4. cap. 4. num. 20.*

Ad constituendum autem in contumacia, de iure illa in termino debet incusari. *Rovit. prag. 6. de citatione & prag. 3. de ord. iudic. Sed in Curia potest semper accusari, etiam post lapsum terminum ad comparandum, Pret. decis. 162. lib. 3.*

Regulariter contumax non admittitur ad appellandum, de iuris rigore, sed de æquitate canonica, quæ in Curia est recepta, appellat, ubi sit contumax verus infra decem dies à die latæ sententiæ, & ubi sit fictus à die scientiæ numerandos, *Buratt. & add. decis. 59. & 122. Ridolphin. in prax. par. 1. cap. 13. ex num. 124.*

Reputatur præfens in eius odiosis, & præiudicialibus libris, pluribusque aliis subiacet penis, quas usque ad numerum viginti quatuor practici enumerant; *Vestr. & add. lib. 3. cap. 2. Marant. in prax. verbo contumacia par. 6. Et præsertim habetur pro confessio, ut in deterius, Rovit. prag. 6. de ord. iud. num. 6. Capp. Latr. consult. 136. n. 3. & infra disc. 29.*

Potest multari, quamvis non impediretur processus ad ulteriora, reiectâ opinione volentium, ut catenus multæ sit locus, quatenus dictus processus impediretur, quoniam adhuc ob iudicis contemptum, iste multam demandare potest, de his apud *Seraphin. decis. 965. & 972. add. ad Buratt. decis. 710. ubi concordantes.*

Non dicitur contumax ante ultimam horam totius diei terminis, in qua debet expectari *decis. 199. par. 5. rec. Licet in hoc Tribunalium stylis deferendum videatur.*

Cum autem contumacia in iudicis contemptu consistat, hinc non debet reputari contumax, qui ex aliquo iusto, non autem affectato impedimento comparere non potest. *Buratt. & add. decis. 725. & 88. de Marin. resol. 44. lib. 1.*

Minusque ille, qui citanti tanquam incompetenti parere non tenetur; *add. ad Buratt. decis. 88. Martin. Andr. decis. 87. cum aliis disc. 3. & 9.*

De compromisso, quando peti valeat, atque ex ejus causa forus declinari; Et de aliis, quæ ad hanc materiam compromissi, & laudi, ac arbitri pertinent.

## S V M M A R I V M.

- 1 **O**bjici solet de exceptionibus dilatorii præsertim de illa incompetentiæ fori.
- 2 De exceptione compromissi ex statuto Urbis cum quibus personis, vel in quibus Tribunalibus procedat.
- 3 De compromisso in vim Regiæ pragmatice in Regno Neapolitano, & quando peti valeat.
- 4 Quare in Curia raro sint controversiæ in hac materia.
- 5 De eodem, & quando agi contingat.
- 6 Quod nulla detur cautela evitandi petitionem reductionis ad arbitrium.
- 7 In impediat exequutio, & cum quibus regulis in materia procedatur.
- 8 Compromissum voluntarium quas exigit solemnitates in iis qui alienare, vel alias disponere sint prohibiti.

9 De declinatione fori ratione compromissi necessari.

10 Quid in casu mixto ratione connexionis cum causa pendente coram Iudice Ordinario non declinabili.

11 Quod compromissa perniciosos effectus potius producant.

12 De praxi qua per electos in arbitros teneri debet.

13 Commendatur stylus Curialium Urbis.

14 Non est in usu trigesima, & qua sit merces arbitri.

15 De causis privilegiatis, in quibus non intret compromissum necessarium.

16 De eodem de quo num. 4. & 5.

17 Laudum debet justificari ex actis.

18 Non potest proferri ultra compromissa.

19 Debet terminare omnes controversias.

20 De necessitate citationis, aliorumque actorum in tela judiciali.

21 An religiosi esse possint arbitri.

22 Ad quem appelletur à laudo arbitri ecclesiastici.

23 Curia Romana distinguit professiones, & non solent fieri compromissa in Religiosis.

24 Cause ecclesiastica non compromittuntur in secularibus.

25 An laudum possit dividi, & exequi in parte.

26 An compromissum per juramentum fiat irrevocabile.

27 Post causam finitam per sententiam, fieri non potest.

28 An sit pluries reiterandum, si semel factum exoptet.

29 Non complectitur rem indicatam.

30 Quando dicatur arbitri, vel arbitrator.

31 Quando expiret per mortem.

32 An laudum nullum, sed emologatum assiciat, & de emologatione.

33 Regulariter non habet viam executivam.

34 In laudo procedunt ea, quæ in sententiis.

35 Procedit compromissum pari passu cum transactione.

## DISC. XI.

**C**omparente illo, qui ad iudicium evocatus est, mediante citatione legitime exequuta, priusquam deveniatur ad ea, quæ ulteriorem processum, in ordinariis, vel decisorii concernunt, & quæ alicubi sub nomine exceptionum peremptoriarum explicari solent, de exceptionibus dilatoriiis, quandoque objicitur; Præsertim verò super declinatoria fori vel iudicis, ratione competentis, vel recusationis, aut litis pendentiæ, coram alio Iudice; Verum de his actum est superius occasione agendi de iudice, ubi an & quando ille Iudex, qui cum ejus citatione ad iudicium evocavit, incompetens, vel recusabilis esse dicatur, *supra disc. 3.*

Data verò competentia; In plerisque partibus datur quoque eiusdem fori, vel iudicis declinatio, per exceptionem compromissi, quod ex locorum legibus particularibus inter conjunctos intra certum gradum, sive inter alias personas certam qualitatem habentes præcipiatur, ut in Urbe, ejusque districtu dispositum est per Statutum, quod tanquam laicale, ac attendendum in foro Capitulino aliisque inferioribus & subordinatis Tribunalibus & curiis secularibus, locum non habet cum ecclesiasticis, minusque in aliis Urbis Tribunalibus utriusque fori mixturam, sive utriusque gladii exercitium habentibus, ut (ex. gr.) sunt Tribunalia Rotæ,



Rotæ, & Auditoris Camerae, cum similibus.

Idemque cum eadem restrictione ad forum, ac personas & causas laicales, absque mixtura ecclesiasticarum, dispositum est in Regno Neapolitano, per quamdam Regiam pragmaticam, *pragm. 1. de arbitr. cujus materiam agunt Rovit. super ead. pragm. de Marin. resol. 66. libr. 1. Prat. obser. 21. & alii de quibus supra.* Atque in plerisque Italiae Civitatibus vel locis frequens est usus hujusmodi Statutorum vel legum, super quibus tamen certa regula generalis dari non potest, quibuscumque casibus vel locis applicabilis, ob earundem legum diversam formam, diversamque praxim, vel interpretationem; Ideoque singulorum locorum praxi, vel styli deferendum est, illud enim ante litem contestationem est petendum, nisi conventionaliter exigat *Affl. & Vrsell. dec. 185. Cavaler. dec. 456.*

In Romana verò Curia, exceptis aliquibus brevibus causis, quæ in Capitolino foro pertractari solent, raræ sunt inter Advocatos, aliosque classicos curiales disputationes, super interpretatione vel observantia præfati statuti Urbis; Vel quia in aliis Tribunalibus locum non habet ut supra; Vel etiam quia experientia docuerit, ut id, quod ad bonum ac laudabilem finem rescandendi lites introductum est, diversos, imo contrarios producat effectus; quod scilicet, loco rescandendi lites, & calumnias, eas potius fovet, atque reddat longiores, adeo ut lege concedente tres instantias, ita per quatuor, causas pertractare oporteat; Ideoque in eadem Curia, ille disputationes de super audiri solent, quæ percutiunt Statuta aliarum Civitatum & locorum Status Ecclesiasticis, ita declinando forum Auditoris Camerae, coram quo aliàs legitime causa introduci potuerit.

Hinc nulli, vel nimium rari, idèd quæ ignoti sunt casus, in quibus de hoc necessario compromisso in Rota disputari contingat, cum de iis, quæ fori declinatoriam, seu causarum remissionem ad partes concernunt, in ipsomet Tribunali A. C. occasione petendi moderationem inhibitionis, disputari soleat, vel (& frequentius) in Signatura Justitiæ, cujus propriè munus est hujusmodi competentia, vel in cõpetitæ quæstiones decidere, ut agendo de hoc Tribunali in relatione Curia advertitur, in relatione Curia d. 32. Ad eod ut revera, saltem pro frequentiori praxi, dictus præjudicialis, ac oppositus effectus fovendi calumnias reorum, atque protrahendi lites in longum resultet; Et consequenter sanctius forsitan esset hujusmodi leges abolere.

Quoniam licet, etiam in causis gravioribus, atque cessante hujusmodi legum dispositione, compromissorum frequentem usum, praxis doceat, quandoque proficuum ob præfati commendabilis finis vel effectus assequutionem; Attamen id ex diversa provenit ratione, quia nempe præsertim pro Curia Romana praxi, compromissa, de jure, & de facto fieri solent, deputando Arbitros, etiam in arbitratores, & amicabilem compositores eaque muniri obligatione camerale aliisque pactis executivis, tollentibus appellationem suspensivam, vel petitionem reductionis ad arbitrium boni viri, ac etiam cum aliis clausulis adimentibus necessitatem servandi rigorem & formalitates ordinis iudiciali, ex quo nullitates deduci solent, undè propterea processus executivus pro frequentiori experientia finem præbet plerisque litibus, quæ aliàs in longum protraherentur, quando debitori vel possessori concederetur executionem effugere; *apud Cels. decis. 170. Neap. seu Iannu. laudi 12. Junii 1671*

& 18. Martii 1672. coram Rondino in casu de quo tit. de feud. disc. 108.

Et licet, ( ut plerique Doctores prudenter advertunt ) add. ad Oldr. consil. 156. Rovit. pragm. 1. & 2. de arbitr. Prat. de obser. 21. Buratt. dec. 29. & 650. nulla detur sufficiens cautela, evitandi adversus laudam vel sententias arbitrales, hoc remedium petendi reductionem ad arbitrium boni viri; Nimirum tamen refertur an id ad utrumque, suspensivum, ac devolutivum effectum competat, ut contingit in compromissis necessariis, quæ ex legibus municipalibus ut supra fiant, quando per ea aliter non disponatur; Et quando ratione obligationis camerale, aliorumque pactorum executivorum vel clausularum, effectus executivus denegetur, atque laudum paratam habere debeat executionem, non retardabilem per exceptionem alterioris indaginis, sed solum per nullitatem claram vel notoriam injustitiam, ex quibus in omnibus causis, ac processibus executivis appellatio suspensiva admittenda est, ex nimium vulgari & quotidiana regula, quod sententia nulla vel injusta, nunquam executioni demandanda est, quamvis de re iudicata, vel de tribus conformibus agatur, cum in hoc proposito laudorum executio, pertractari soleat cum eisdem regulis, ac propositionibus, quas generaliter in sententiis, & decretis Judicum habemus, dum eadem pariformiter intrat ratio; *Buratt. & add. dec. 14. & 650. Cels. d. dec. 170.*

Quatenus itaque, ad hujus materie compromissi praxim, vel generalitates pertinet; Ea in primis intrat distinctio, inter compromissum voluntarium, & necessarium, ut primum, quandam redeat speciem alienationis, ideoque in personis prohibitis alienare, aliosque contractus præjudiciales facere sine certis solemnitatibus, eadem solemnitates, vel requisita in compromisso voluntario requiruntur; Secus autem in necessario, quod ex legis obligatorie dispositione provenit; *sub tit. de feud. disc. 49. sub tit. de iurisd. disc. 7. & sub tit. de alien. & contr. at. prohib. disc. 1.* In reliquis autem quæstiones, quæ in hac materia haberi solent, præsertim super natura vel qualitate causarum, & an sub hujusmodi legibus intrent, nec ne, cessant in compromisso voluntario, dum partium conventio eas dirimit, quoties ea valida sit.

Agendo autem de compromisso necessario; Illud de stricto juris rigore, fori aliàs competentis declinationem inducit, atque iudicis ordinarii iurisdictionem suspendit, quod scilicet causa per unam Partium legitime in Curia introducta, rectè per alteram petatur remissio ad partes, coram arbitris ad formam Statuti eligendis, isteque dicatur forus competentior, seu magis privilegiatus, secus autem ubi sit voluntarium, cum tunc quælibet Partium redire valeat ad iudicem ordinarium, licet competat alteri Parti actio ad panam, vel ad quantum interest nisi per pactum expresse aliàs provisum sit, *Civilista in l. si quis rem ff. de arbitr. & Canonista in clem. quando in appel. Zach. de obl. quæst. 19. Mantie. dec. 221. n. 10.*

Quæstio autem cadere solet in casu mixturæ seu connexionis alterius causa cum tertio, an scilicet ratio connexionis prævaleat atque compromissum impediatur, vel è contra; Atque in facti contingentia quandoque de hoc agendo in Tribunali A. C. ac etiam in Signatura Justitiæ occasione præsertim Statuti Fulgitanensis, quod affines etiam post dissolutam causam affinitatis intra certum gradum ad id obligat, sublimi permanentiam causæ in Tribunali A. C. in quo penè instructa erat; Tum ex ista



10 ista ratione connexionis; Tum etiam ex aliquibus exemplis S. Confilii Neapolitani. *Staiban. resol. 63. num. 1. Rosa consul. § 8. num. 11. & in fine.*

11 Et meritò quidem quoniam [ ut præmissum est] huiusmodi compromissa, ex laudabili fine inducta, contrarium effectum, inanesque circuitus, atque calumniarum fomentum, potius inducunt; Quoties non sint voluntaria, & munita pactis & clausulis, de quibus supra. Et nihilominus sapius neque id sufficit; Undè propterea, quamvis frequenter in Arbitrum vel Arbitratorem litigantium concordia sensu deputatus fuerim; Nimum tamen raro ad laudi prolationem deveni sed partibus, earumque defensoribus auditis, matureque omnibus perpen-  
12 sis oretenus eisdem per modum concordia proponere consuevi id, quod laudare in animo conceperam, ut eis acquiescentibus, vocatur Notarius, atque fieret transactio, & ita adimpleretur finis, ob quem compromissa introducta sunt, sin minus integrum remaneret causam prosequi in statu & terminis, in quibus præambula compromissi hora reperiebatur, dum lauda partibus non acquiescentibus nova & maiora dispendia ac maiorem temporis iacturam producere quandoque solent, ut quandoque expertus sum quando laudum proferre oportuit, in casu de quo sub tit. de feud. disc. 108. & in aliis.

13 Atque in hac parte verè commendabilis est Romana classica Curialitas, quæ generaliter cordi habet, cum nimia charitate, magnaque ingenuitate, omne studium, omneque laborem, etiam gratuitum adhibere, pro litium compositione, neglecta quacumque propria utilitate, quæ ex litium prosecutione resultaret (quamvis nulla dectur in hoc mundo regula, quæ limitationem non patiatur;) Atque ubi ad laudi prolationem devenitur, ille usus vel abusus trigessimus, qui ex jure civili derivet, penitus ignotus est, sed adhibetur ille idem usus sportularum, qui in iudiciis Commissariis, vel aliquibus ordinariis adhibetur, Undè propterea in facti contingentia pluries obtinui revocari sententias  
14 condemnantes ad hanc trigessimam in vim Regiæ pragmaticæ, quæ in Regno Neapolitano viget, utpote cum personis ecclesiasticis, & in foro ecclesiastico non attendendæ.

Huiusmodi autem leges compromissum demandantes, in plerisque causis non intrant, utpote privilegiatis; Puta ubi agatur de alimentis, vel de dote; Quæstione cadente in legitima, an alimentorum naturam ac privilegium habeat. Et generaliter in iis iuribus, quæ liquida in continenti probata sint, per instrumenta publica, sive etiam per scripturas privatas, pro quibus competat processus executionis; puta ratione obligationis cameralis vel ex simili pacto, vel clausula, & in plerisque aliis casibus, quos recenset ac etiam examinare student DD. qui de hac materia particulariter & ex professo ex genio, vel propria regionis oportunitate tractarunt, sed in Romana Curia, (ut dictum est) rarus videtur huiusmodi quæstionum, seu disputationum usus, de his habetur apud Galeot lib. 1. contr. ult. de Marin resol. 66. lib. 1. ubi concordantes.

16 Frequentior antiquiori tempore erat usus disputandi de laudorum executione, ac validitate, ut docent pleræque Rotæ decisiones inter finem decursi & initia currentis sæculi editæ, sed moderno tempore adhuc iste usus rarus effectus est ob superius insinuatam rationem, quod quando Arbitrorum charitas dictam cautelam non adhibet, compromissorum ac laudorum usus, effectus perniciosos potius producit.

*Card. de Luca de iudiciis & judicialibus.*

Ubi verò de his disputari cõtingat, præsertim circa laudi validitatem & executionem; Regula est, ut illud tam circa justificationem, quam circa facultatem ipsius Arbitri, ex actis justificari debeat, quodque Arbitri assertioni non deferatur, circa eius deputationem, nisi ubi ea fiat partibus præsentibus & non contradicentibus, *Mantic. decis. 258. Buratt. decis. 14. & 29.*

Item ut proferri non debeat ultra compromissa, cum illud dicatur stricti juris, strictèque interpretandum sit, atque non extendendum ultra specificata. *Buratt. & add. dicta dec. 14. & 29. ubi alii recensentur.* Prout terminare debet omnes controversias, ac aliàs invalidum est, nisi clausula & facultates in compromisso contentæ aliter disponant *Cavaler. dec. 656. Buratt. dec. 14. Duran. dec. 200.*

Exdemque facultates, vel clausula hodie de communi stylo adjici solita, dirimunt quæstiones, quæ antiquiori tempore disputari solebant, circa necessitatem citationis, tam in substantia, quam in solemnitate; Ac etiam circa iudicii telam, seu ordinem, nec non circa facultatem deputandi tertium in casu discordia, an de ista in actis constare debeat, sive an valeat eadem facultas de persona incerta, cum similibus; Quoniam huiusmodi quæstiones cadunt in puris arbitris, non autem in Arbitratoribus, & amicabilibus compositoribus, qui in voluntariis compromissis pro frequentiori usu deputari solent, quibus datur facultas procedendi de jure, & de facto, nullo quocumque tempore juris ordine servato. *Mantic. dec. 299. Buratt. dec. 56. 70. Cels. dec. 170. de Marin. resol. 45. lib. 1.*

In aliquibus partibus jurisdictionales quæstiones voluntaria compromissa parere solent, quia scilicet fiant in clericos sæculares, ac etiam frequenter in illos regulares, qui in sæculo, in Advocati vel procuratoris munere versati, immemores illius sententia, quod non sint digni Regno Dei, qui apponendo manus ad aratrum, respiciant retro sæcularia negotia, non absque aliqua pompa, vel ambitione potius pertractare satagunt; An scilicet à laudo per eos lato ad iudices ecclesiasticos inspecta persona arbitri, vel potius ad iudices laicos, inspecta qualitate  
21 causa, & litigantium, appellandum sit, istaq; posterior opinio magis in praxi recepta videtur, ut scilicet qualitas arbitri vel arbitratoris non immutet naturam seu qualitatem causæ. *Rovit. pragm. 2. de arbitr. Sperell. dec. 19. apud quos de utraque opinione.*

In Romana Curia tamen huiusmodi quæstiones non audiuntur, minusque aliæ, an & quando regulares professi, hoc munus arbitri, vel arbitratoris exercere valeant. *Rovit. ubi supra Cels. decis. 170. num. 3.* quia Curia bene professiones distinguit, etiam in ipsismet Curialibus, ut in eius relatione advertitur occasione agendi de Curialium diversis ordinibus; Idèdque ad instar distributionis beneficiorum, sæcularibus sæcularia, & regularibus regularia congruunt; De aliis autè ad hanc materiam apud ejus tractatores, sive alios super præmissis insinuatos, in casus contingentia recurrendum erit, cum à Curia praxi ista materia potius extranea quodammodo videatur, vel faltem rara.

In sæculares autem personas, vel Magistratus  
24 causas ecclesiasticas, vel spirituales absque Apostolico beneplacito est prohibitum compromitti, dicto disc. 7. de iurisdic. ubi concordantes.

Nimumque occasione præsertim executionis laudi à me prolata in quadam gravi causa de qua dicto disc. 108. de feud. disputata fuit in Rota,  
25

D

(me



(me tamen ex dicta ratione non scribente) ea quaestio individuitatis, vel dividuitatis laudi, an scilicet illud in ea parte, quae iusta videatur exequendum sit, alterius partis executione denegata; Affirmativam enim veriores esse super dividuitate, plerique substinent, ubi per capita separata latum sit ad instar sententiae *Cancer. var. l. 3. cap. 17. num. 28. & par. 1. cap. 21. numer. 60. Marott. disc. 37. St. arb. resol. 57. nu. 32. Baratt. decis. 29. num. 15. ubi add. num. 21. & 27. Negativam vero alii tenent, ex laudi individua naturas *Franc. decis. 173. Fomanell. claus. 4. gl. 21. par. 1. numer. 35. Merlin. lib. 1. contr. 55. num. 12. Rota decis. 133. ex num. 13. post Post. de subh. in add.**

Cum æquivoco autem in hac disputatione procedi ego advertebam, atque aliquibus causæ defensoribus in sinuabam, adeo ut pro meo iudicio inanis videretur labor desuper adhibitus; Dicta etenim quaestio, quæ diversas ut supra, opiniones habet (ideoque in praxi illa tenenda est, quæ in ea regione ejusque majoribus Tribunalibus recepta sit) procedit, ubi idem qui sit in parte victor, & in parte victus, laudum in partibus odiosis, ac præjudicialibus impugnet, atque ab eo appellando, vel reclamando se opponat executioni, istam verò petat in partibus sibi favorabilibus; Isto etenim casu, licet in sententiis iudicium, id de jure liceat, Attamen in laudis aliqua dignosci videtur ratio differentiae ob individuitatem consensus, juxta unam opinionem ut supra; Sed quando ille, qui petit executionem partium, seu capitulorum favorabilium, acquiescit etiam partibus, vel capitulis odiosis, ac præjudicialibus, totumque laudum acceptat, undè propterea impugnatio proveniat solum ex parte illius, qui executioni se opponat, tunc nulla cadere videtur dubitandi ratio, quoniam aliàs nunquam verificabilis esset executio contra invitum.

26 Compromissum juramento firmari prohibitum est de jure civilis, hæc autem prohibitio cessat de jure canonico, quod ubique etiam in terris Ecclesiæ, vel in foro laicali attendendum est, atque ita communis praxis recepit, *Vestr. & add. lib. 3. c. 3. Marant. in prax. par. 6. num. 264.*

27 Post causam jam finitam per sententiam compromissum fieri non potest, nisi consensus illius, cujus favore sententia prodiit, & qui prævia certa scientia, sit validus, & legitimus, prohibitionem cessare faciat, *Surd. decis. 185. Capyc. Latr. consulti. 70. apud quos alii.*

28 Requisitum ab homine, putà ex conventionione, vel ex præcepto testatoris, sufficit semel factum esse, neque reiteratio prætendi potest, Ubi verò requisitum est à lege, sub quaestione est iterum peti possit, si primum absque effectu expiraverit, toties quoties &c, vel potius non ultra duas vices, Atque variæ sunt opiniones, ideoque Tribunalium seu regionum styli deferendum videtur, dum (ut præmissum est) raro Curia Romana has disputat quaestiones, Pro prima opinione *Capyc. Latr. decis. 182. num. 43. Rot. decis. 867. par. 3. divers. & alii relati per Marin. resol. 65. lib. 1. Pro altera Afflict. decis. 46. Rovit. in pragm. 1. de arbitr. num. 9. de Marm. ubi supra.*

29 Rem iudicatam non complectitur, quantumvis amplè conceptum sit, nisi dicatur, *Surd. decis. 185. Bich. decis. 630.*

Ubi Arbitri, & Arbitratoris potestas data sit, in ejus electione est, quam personam gerere velit, sed si primam eligat, tenetur juris formam ac ordi-

nem judicarium servare; Quando autem uno, vel altero modo in dubio procedere voluisse dicendum sit, certam non habet regulam, sed à facti qualitate & circumstantiis, vel argumentis pendet, *Gregor. decis. 204. ubi concordantes.*

Per mortem unius ex compromittentibus expirat, nisi factum sit etiam pro hæredibus, ut hodiè pro frequentiori stylo fieri solet, *Giovagnon. conf. 23. lib. 2. Cavaler. decis. 656. Bich. decis. 630.*

Ubi laudum sit nullum, partium emolgiatio, vel acceptatio, illud validum reddere non potest; Si tamen cum certa scientia facti, & juris talis nullitatis, valida acceptatio utriusque partis accedat, tanquam per speciem reciproce conventionis, tunc valebit quidem in vim pacti, vel transactionis, cujus naturam assumit, *Baratt. & add. decis. 14. & 657. decis. 155. parte 5. rec. decis. 65. par. 7. & sapins.*

Regulariter non habet viam executivam, sed ab eo licitum est appellare etiam ad effectum suspensivum, nisi partium conventio aliter statuat, *Bich. decis. 248. cum aliis supra num. 6.* Limitant autem aliqui in Judais, *Theaur. decis. 253. num. 6.*

In reliquis autem circa injustitiam impediendam executionem, non obstante quocumque pacto executivo, sive quod injustitia in parte, vitiet totum, quoties non sit per capita separata, cum similibus; Generaliter receptum videtur idem quod in sententiis, vel decretis iudicium habetur.

Compromissum procedit pari passu cum transactione, tam circa solemnitates requisitas respectu eorum, qui alienare, vel aliàs liberè disponere sint prohibiti, quam etiam super eo, an afficiat successorem, qui jure suo independenter veniat, ex causa feudi, vel fideicommissi, Ideoque ad hunc secundum effectum, eadem intrant distinctiones, *supra num. 8. ubi allegantur auctoritates, id firmantes in specie Ostob. dec. 242.*

De legitimatione personarum in iudicio existentium, & quando defectus legitimationis annulet processum, vel eius exceptio illum impediatur.

### S U M M A R I U M.

- 1 AN & quando defectus legitimationis persone obstat, vel annullat.
- 2 De legitimatione persone, de qua sit oppositum, quomodo fieri debeat.
- 3 De hoc oppositum dicitur per protestationem generalia contra, &c.
- 4 In casu oppositionis non admittitur mandatum presumptum.
- 5 De eodem, seu de ratione.
- 6 De actionibus popularibus, in quibus unus pro alio comparere potest etiam sine mandato, quomodo intelligatur.
- 7 De probatione identitatis persone, eiusque suppositione.
- 8 De legitimatione persone circa qualitatem, qua tribuat actionem.